

commune Bonum cum Prudentia, Constantia, &c. prosequi: vel datâ Lege de prosecutione Boni Comunis pro virili nostra, datur Lex impe- rans Prudentiam, Constantiam, Fidem, &c. Nec dispar est ratio legum quæ jubent fidem dare & servare, ac gratitudinem exercere; hæc enim in actibus erga omnes prorsus rationales pariter lo- cum habent. Alii vero multi sunt actus huma- ni qui licet totius communitatis Rationalium bono inserviant, certis tamen illius partibus im- mediatè & peculiari modo appropriantur: ideo- que Proprietatis ac Dominii (paulò laxiore sensu verborum quam qui apud Jctos civiles, in usu est) origo quærenda est.

CAPUT VII.

*De Origine Domini & Virtutum
Moralium.*

§. I.

Quemadmodum Animalis Oeconomia verè quidem, sed non satis plenè explicatur di- cendo; Totam corporis fabricam à perenni san- guinis motu in se se refluo sustineri; ita etiam Societas omnium rationalium vere quidem dicta est conservari reciprocis officiis in publica com- moda collatis; at non satis plenè explicabitur, donec ostensum fuerit quales tandem actus præ- cipuis ejus partibus in hunc finem necessario tri- buendi sint, & propriis earum usibus destinandi; uti ad pleniores Naturæ Animalium explicatio-

Dd 4

nem